

ea volensque, non quod nimis vulgata putem, praetereo, contentus adiecisse lepidam imaginem, quam *Ennius* ^{d)} effinxit:

Otio qui nescit vti, plus negotii habet,

Quam quum est negotium in negotio.

Nam cui quod agat institutum est, nullo negotio

Id agit, studet ibi, mentem atque animum delectat suum.

Otioso, initio animus nescit quid velit.

Hoc idem est; neque domi nunc nos, nec militiae sumus.

Imus huc, hinc illuc, quum illuc ventum est, ire illinc lubet.

Incerte errat animus, praeter propter vitam viuitur.

Miseram vero sortem istorum hominum, et vel propterea cauendam, quod viuendi causas, vt ille ait, quotidie praetereunt. Sed cum eosdem etiam, per hunc ipsum vitae somnum, praecipites in scelera et turbas ruere videas, aliis graues esse, sibi adferre exitium: non iam contemptu puniendi sunt, sed detestandi, velut perpetuae quaedam ciuitatum pestes.

At his leges et minae oppositae sunt acerbissimae. Audio. Nulla est res publica bene constituta, quin rigidior se praebet in proterue otiantes, et hanc desidiaem maculam cum offensa aliorum circumferentes. Postquam inprimis saepius inculcarunt huic aetati nostrae scriptores minime mali, (vt nuper Francogallis suis *Mirabellus*, ^{e)} in libro quem *Φιλάνθρωπον* ^{f)} dici voluit, qui etiam sermone iam nostro legitur,) summas reipublicae et paratissimas opes

d) Apud *Gellium*, Noct. Attic. L. XIX. c. 10.

e) *Marquis de Mirabeau*.

f) *L'Ami des Hommes*.